

8.41.11

*Idem A. Sallustio.*

Cum alter ex fideiussoribus in solidum debito satisfaciatur, actio ei adversus eum qui una fideiussit non competit.

1 ¶ Potuisti sane, cum fisco solveres, desiderare, ut ius pignoris quod fiscus habuit in te transferretur, et si hoc ita factum est, cessis actionibus uti poteris, quod et in privatis debitis observandum est.

*PP. VII k. Nov. Alexandro A. III et Dione cons.* [a. 229]

8.41.12

*Idem A. Theodoto.*

Blanditus tibi est, qui non teneri te persuasit, quod, cum pro alio intervenires, ἐγγυῶμαι dixisti, cum et his verbis obligationem verborum contrahi pridem receptum est.

*PP. VI k. Sept. Agricola et cons.* [a. 230]

8.41.13

*Pars ex epistula Gordiani A.*

Si Barsagoram latronem Lysanias decurio inventurum se spondisset, aut exhibere compellendus est aut transmittendus ad praefectum praetorio vel ad praesidem provinciae.

8.41.14

*Idem A. Salvio.*

Mandati actio personalis est. quae si nomine fideiussoris vel adversus debitorem seu heredes eius competit, praeses provinciae quae deberi comperit reddi iubebit.

1 ¶ Pignora etenim, quae reo stipulandi nexa fuerunt, ita demum ad vos transeunt, si facta nominis redemptione solutio celebrata est vobisque mandatae sunt actiones.

2 ¶ Quod si factum est, ea quoque vobis persequentibus adversus possessores extraordinariam iurisdictionem idem vir clarissimus impertiet.

*PP. III non. Iul. Gordiano A. et Aviola cons.* [a. 239]